

proficiscerentur; ab Julioque peterent, ut ea quæ Reipublicæ polliciti ejus ministri fuerant, repræsentaret. Quibus de rebus nonnulli ex civibus dolore affecti, in eos qui Senatum regebant, voces plenas querelarum privatim jaciebant, fortasse non percipientes hujusmodi decreta bonis rationibus facta esse, ac ne populi, qui reipublicæ parerent, eorumque urbes & regiones hostium prædæ exposta essent, quorum viribus impetuique eo tempore cedere e re omnium esse videbatur, lætioremque fortunam expectandam: ea flante, recipi tunc posse, quæ vitandarum populationum causa desererentur, quemadmodum Diis bene faventibus evenisse postea compertum est. Hi igitur, qui non satis probe rem intelligerent, querelas graves amarasque adversus eos, qui civitatem regebant, spargere: *Non adeo timide rempublicam administrari oportuisse: non tot egregia oppida tradi hostibus ita facile debuisse: neque enim majores nostros tantis impensis, tot exercitibus, tantis suis laboribus & sanguine, tot annorum longinquitate ea imperio adjecisse, ut paucis post diebus sponte amitterentur: errare qui mitiores futuros hostes crederent, propter ea quod respublica tam facilis in illos fuerit, ut quæ nulla certa cum spe, maximisque sumptibus bello agere statuerant, pacate ab iis propeque noctu oculi sint confecta: augeri potius ea re eorum audaciam, quod debiliorem multo ad resistendum armis rempublicam offenderint, quam puttarant: itaque invitari eos jam allicique, tanta confecti belli celeritate, ad majora appetenda: id effectum esse hujuscemodi decretis formidine plenis, ut vereri amplius, & pejora præteritis timere nunc cogantur.* quod si regi Gallorum propter exercitum victorem cedendum fuit (quoniam si majorum pristina virtus in viventium civium animis resedit, non is tam proprios habuisset sane Deos) quid attinuit vel Maximiliano nullos exercitus contra Rempublicam mittenti, tot oppida ultro dedisse? vel Julii exercitum, antequam ille pactis stetisset, reipublicæ oppida in Flaminia, firmata munitionibus propugnatoribusque receperisse? nunc etiam legatos esse ad illum Romanum mittendos,

H. Bembi.